Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-424739-p0001-7

~~G. III. a.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VI-16. VITEBERG.
SIGNAT. cIↃIↃCCCXIII.

Differt. theol. Vol. 36

F Eiusdem de ijsd.

einzeln verzettelt 11. III. 1915.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-424739-p0002-2

Index Dissertationum, quae in hoc volumine continentur.

1.) M. Mich: Liebentantz, de Magia baculorum, Vittenb. 1661.
2.) M. Joh: Georg: Dittelmajerus, de Baculo Mosis, Vitteb. 1675.
3.) Mich: Döberlein, Praes: Joh. Hehn. Villenero, de Baculo Mosis, Vitteb. 1680.
4.) M. Joh. Jac. Eiselohr, de Paschate Hebraeorum, Vitteb. 1678.
5.) a. M. Joh: Caspar Strauss, de Columna ignis ac nubis, Vitteb. 1707.
6.) b. Eiusdem de eod. Dissert. II.
7.) M. Joh. Frid. Stapelia, de vocula (22) Man, ad Exod. XVI. 15. Vitteb. 1657.
8.) M. Mich: Liebentantz, de Manna Israelitarum, Vitteb. 1662.
9.) M. Pauli Bergeri, de Monte Sinai Φιλοσοφουμενον και κεκοσμημενον τοπον. Vittebergae, 1707.
10.) M. Joh. Jac. Stromayeri Disharmoniae Decalogicae, harmonice conciliatae Duos. Vitteb. 1714.
11.) M. Mich: Liebentantz, de Cherubim Propitiatorii, ad Exod. XV. 18. Vitteb. 1661.
12.) M. Georg. Mich: Doderlinus, de candelabris Judaeorum sacris, ad Exod XV etc. Vittebergae, 1711.
13.) Mich: Liebentantz, Praes. M. Frid. Viccio, de Aaronitici pectoralis insigni, Urim atque Thummim, ad Exod. XVIII. 30. Vitteb. 1657.
14.) M. Nic. Polemannus, de Urim et Thummim, Vitteb. 1666.
15.) M. Joh. Oelreich, de Urim et Thummim, Vitteb. 1677.
16.) Joh. Christ: Wichmannshausen, num Lapides impletionum ab Urim et Thummim distinctum quid fuerint, nec ne? Vitteb. 1701.
17.) M. Mich. Liebentantz, de Frontali Aaronis, Vitteb. 1662.
18.) M. Mich. Liebentantz, de Facie Mosis cornuta, ad Exod. XXXIV. 29. 1660.
19.) M. Joh. Jac. Seiferheld, de ingressu Summi Pontificis in Sanctum Sanctorum. Vitteb. 1713.

21.) Christian. Alteneck, Praes: Theod. Dassonio, de Coma Hebraeorum licita et interdicta, ad Levit. XIX. 27. etc. Vitteb. 1695.

22.) M. Christian. Aug. Hausen, Praes. Wichmannsh. de corpore scissuris figurisq. non cruentando, Vitteb. 1713.

23.) M. Valentinus Grissing, Coroma Transylvanus, de immolatione liberorum Molocho facta, iuxta Levit. XX. 2. Vitteb. 1678.

24.) Adami Uhl, de Pentecoste Ebraeorum. Vitteb. 1668.

25.) M. Joh. Helu: Willemerus, de Nominis יהוה pronunciatione per legem concessa, Vitteb. 1677.

26.) Joh. Christoph. Wichmannsh. de Chebrone Gigantium Domicilio, Vitteb. 1710.

27.) Simon Gross, Praes: M. Mich. Beck, de vua magna Cananaea. Jenae, 1679.

28.) M. Joh. Majus, De virga Aaronis florida, ex Num. XVII. 18. Vitteb. 1680.

29.) Joh. Thurzo, Hung. Praes. M. Paulo Bergero, de Montibus Hor et Nebo, Mosis et Aharonis morte et sepultura celeberrimis, Vitteb. 1707.

30.) M. Joh. Wilh. Hilliger, de Bileamo eiusdq. Asina loquente, Vitteb. 1673

31.) M. Daniel Ventzckius, de Stella ex Jacob, Num. XXIV. 15—19. Vitt. 1694.

32.) a) M. Joh. Helu. Willemer, de Stella ex Jacob oriunda, ex Bileami vaticinio, Num. XXIV. 17. Vitteb. 1678.

33.) Eiusd de ead. Dispatatio posterior.

34.) Joh. Christoph. Wichmannsh: de portu Kittaeorum, ex Num. XXIV. 24. 1708.

35.) Eiusd de praesidiariis Levitarum vrbibus, Vitteb. 1715.

36.) Andreas Dietzius, Praes: Hilliger, de vestimentis Izraelitarum in deserto, ex Deut. VIII. 4. XXIX. 5. et Nehem. IX. 21. Vitteb. 1676.

37.) M. Georg. Michaelis Cassai, Hung. de genuinis 28 ישון natalibus. Vitteb. 1716. ad Deut. XXXII. 15. Resp: Jos. Feidezius Michaelis filius.

38.)

~~IN EXODVM~~.

38.) Georg. Patzig, Praes. Sennerto, ad Deut. XXXIV. 5, 6, 7, 8. Vitteb. 1656.

39.) Andr. Sennertus de Iephtae voto, ex Iud. XI. 30. p. Vitteb. 1650.

40.) Christian. Messerschmid, de voto Iephtaeo, ex Iud. XI. 30. p. Vitteb. 1665.

41.) Ioh. Andr. Seiffart, Praes: Pfeiffero, An Iephta filiam suam immolarit? ex Iud. XI. 30. p. Vitteb. 1671.

42.) M. Mich: Christian Tieroff, de sacris Iudaeorum vinculis, in specie, de voto Iephtae, Ienae, 1657.

43.) M. Christian. Threpte, de vulpe Simsonis, ex Iud. XV. 4–6. Vitteb. 1674.

44.) M. Ioh. Iac. Seiferheld, de maxilla asini, Iud. XV. 15. Tubingae 1716.

45.) M. Dauid Theodos. Lehmann, de Simsone molitore, Iud. XVI. 21. Vitt. 1709.

46.) M. Ioh. Clodius, de ritu excalceandi, in contractibus olim vsitato, ex Ruth. IV. 7. Vitteb. 1672.

47.) Ioh. Cristoph: Wickmannsh. de Saule vaticinante, ex 1 Sam. X. 5. 10. Vitt: 1710.

48.) a. M. Christian. Gottl. Schuarzius, de morte Achitophelis ex 1 Sam. XVII. 23. Vitteb. 1704. Disp. prior.

49.) b. Eiusd. de eadem. Disp. posterior.

50.) Ioh. Christoph: Wolffius, de Apparatu Philistaeorum bellico, ex 1 Sam. XIII. 5. Vitteb. 1711.

51.) Ioh. Christ. Wickmannsh. de armatura Goliathi, 1 Sam. XVII. 4. p. Vittenb. 1711.

52.) M. Henr. Opitius, de Dauidis et Salomonis Satellitio, Crethi et Plethi, Ienae, 1672.

Lng VI 16

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-424739-p0006-5

בגה

DISPUTATIO PHILOLOGICA,
DE

חברון
ביתענקים

Sive

CHEBRONE
GIGANTUM DOMICILIO,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AUGUSTO,
PRINCIPE REGIO ET SAX. ELECT. HEREDE,
Ad V. Nonas Maias cIↃ IↃ CCX.
Censurae Eruditorum publicae
submittunt
PRAESES
IOANNES CHRISTOPHORUS
VVICHMANNSHAUSEN,
LINGVARUM ORIENTALIUM PROF. PUBL.
ET
RESPONDENS
M. GEORGIUS ALBERTUS ANTHING,
MEININGA HENNEBERGICUS.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

I.

HEBRONEM, multis in divino Codice nominibus celebrem, omnium Orbis terrarum urbium antiquissimam esse, qui statuerent, non defuerunt. Hos vel idoneis rationibus omnino destitutos, deserendos rati, satis habuerunt CL. HILLERUS, in *Onomast. S. p. 290*, si Chebronem urbem *Orientis*; HEIDMANNUS in *Palaestina c. III. §. 90. p. 73*, si terrae *Cananaeae* vetustissimam appellarent. Nostro sane, quod sacrorum pandectarum auctoritate stat, judicio, vel eo nomine inter antiquissimas referenda urbes est, quod *Num. XIII, 22.* septem annis ante, quam צֹעַן *Zoan* conderetur, dicitur exaedificata. Illam צֹעַן *Zoan*, *Tanitem* fuisse, urbem praefecturae, quas νόμους *Graeci* vocant, Ægyptiacae cognominis principem, ONKELOS aeque ac JONATHAN, *Chaldaei* produnt, dum ille צֹעַן urbem l. c. טנס, hic טאנס interpretatur. Eandem sententiam & LXX. *Graeci*, qui צֹעַן, Τανὶν dixerunt, & *Vulgatus* interpres amplexi sunt, perinde ut JOSEPHUS L. I. *Antiqv.* c. IX, qvi ipse, nescio quibus argumentis inductus, τὴν χεβρὼν τῆς ἐν Αἰγύπτῳ Μέμφεως ἀρχαιοτέραν esse confidenter affirmat. Quid caussae sit, quamobrem MOSES *Chebronis* antiquitatem ex urbis Ægyptiacae צֹעַן, sive *Tanis*, aetate potissimum aestimari voluerit, ii videntur assecuti, qui credunt,

dunt, factum id esse ad retundendam inanem Ægyptiorum iactantiam ac superbiam, qua se mortalium primos, urbesque suas omnium antiquissimas, praedicabant, teste *Diodoro Siculo* L. I. *Bibl. p. 9.* & *Justino* L. II. c. 1. Nec enim facilius gloriolae istius inanitas aevo illo argui poterat, quam si *Cananaeae* urbis aetas cum aetate urbis *Ægyptiacae*, quae totius imperii domina, regum sedes, miraculis a *Mose* editis, illustrissima, omnibusque *Israelitis*, qui in provincia *Tanitica* olim, haud procul ab isto *Nili* ostio, quod Τανιτικὸν στόμα PLUTARCHUS vocat, consederant, adhuc notissima foret, componeretur, succincteque, quantum illa hac sit antiquior, monstraretur.

II.

Ad situm urbis *Chebron* quod attinet, sacrarum & profanarum historiarum testimonio, in CANAAN, sive *Palaestina*, fuit collocata, multumque adeo diversa ab עברונה Abrona, quae in desertis inter *Jetebatha* & *Asiongaber* posita, *Num. XXXIII, 34. 35.* commemoratur. Vt enim, quae ex *Mose* atque *Josua* inferius afferentur, argumenta, jam taceamus, χεβρὼν certe, teste STEPHANO de *Vrbibus* p. m. 251. πόλις ἐν χαναναίᾳ τῆς ἰουδαίας fuit, inque septima tribus *Judaicae* regione, a *Josua* c. XV, 54. descripta, omnium tribus illius civitatum, si SAMSONI in *Indice Geographico* p. 57. fides habenda est, facile prima & maxima exstitit. Id quidem certum est, divinique codicis auctoritate confirmatum, ante tempora JOSUAE *Chebronem* in *Hethitarum*, Gigantumque, quos *Anakaeos* sacra appellat historia, potestate fuisse: eandem vero totius terrarum orbis velut umbilicum, vallemque continentem amoenissimam, felix illud primorum

morum parentum Domicilium, quod *Paradiſum* nuncupamus, exſtitiſſe, nobis perſuaderi aegerrime patiemur. Ab *Hieroſolymis*, ut univerſa tribus *Judaica*, ſic & *Chebron*, in montanis *Judae* ſita, ad meridiem ſpectabat, ita tamen, ut a meridiano Hieroſolymorum in Orientem paullulum declinaret, quod ex *Hieronymo* docet CELLARIUS *Geogr. Antiqv. Part. II. p. 566.* Corroborat eam ſententiam, quod ex JOMA cap. III. *Halach II.* affertur, teſtimonium, quo, non licuiſſe victimam matutinam caedere, niſi omni, quae ad Orientem reducta erat, terra עד שבחברון *ad Chebronem usque*, ſole colluſtrata, edocemur. Quoto autem lapide ab *Hieroſolymis* abfuerit *Chebron*, difficile eſt definire. *Itinerarii* quidem *Burdigalenſis* auctor, SOZOMENUM L. II. *Hiſt. Eccleſ. C. IV.* ſecutus, ab *Ælia*, ſive *Hieroſolymis*, ut *Theodoſii* aevo res fuerunt, eam CCLII. *ſtadiis*, ſive XXXII. *milliaribus* diſtitiſſe affirmat. Sed HIERONYMUS, qui XXII. *milliarium*, videlicet *Italicorum*, illam diſtantiam in voce ARBOCH fuiſſe tradit, vel ea de cauſſa potius *Cellario* videtur audiendus, quod eum, qui maiorem admittere velit, *Chebronem* nimis in Auſtrum reductum arbitrari oporteat. Proximus igitur *Hieronymi* ſententiae HEIDMANNUS eſt, qui l. c. *Chebronem* ab *Hieroſolymis* quinque & dimidio milliari Germanicis, perinde ut RADZIVILIUS a *Bethlehemo* quinque milliaribus, quae *Polonica* vel *Germanica* maiora CLERICUS, in Notis ad *Onomaſticon Vrbium & Locorum Sacrae Scripturae*, *Graece* primum ab *Euſebio*, deinde latine ab *Hieronymo* ſcriptum, p. 55. interpretatur, abfuiſſe aſſeverat. Ipſam vero urbem *Chebron* non πόλιν τῆς πεδιάδος civitatem campi, ut *Graeci interpretes* vocem ארבע Gen. XXXV. 27.

temere interpretantur, sed montanam in monte nimirum cognomine, perinde ut *Samaria*, positam fuisse ex *Jos. X, 21. XX, 17. XXI. 11.* liquet. Nam si vel maxime demus, spatiosissimos in montium jugis campos haud raro reperiri: nulla tamen idonea apparet ratio, quamobrem vox ארבע per πεδίον fuerit exponenda. Quo autem jure quave injuria, LIGHTFOOTUS *Harm. Evangel.* p. 318. *Chebronem*, in qua & ritus amputandi praeputii *Gen.* XVII. institutus, & JOANNES BAPTISTA natus, sacrisque initiatus est, desertorum quasi partem, quo nomine numquam in sacris literis appellata est, vocet, aut saltem a *Desertorum* Civitatibus non procul abfuisse, ad eamque *Joannem* prius, quam ad *Jordanem* pergeret, sacro fonte *Judaeos* initiasse existimet, prolixius jam disputare nostri non est instituti.

III.

Soli *Chebronitici* fertilitatem tantam fuisse, *Iudaei* crepant, quae terrae *Taniticae*, sive *Ægyptiacae*, bonitatem vel septies superaverit. IARCHIUS sane ad *Numer. cap. XIII, v. 23.* חברון טובה ממנה inquit, והיתה שבעים חלקים. Quam quidem sententiam admodum stultam esse, SIMON PATRICIUS in *Comment.* ad h. l. tum ob alias, tum praecipue ob eam rationem judicat, quod, *Chebron*, quippe munimentis, propugnaculisque, armata urbs, multum fertilis esse haud potuerit. Respexit haud Dubie *Brito* eruditissimus ad illud antiquum *Gemaristarum* verbum, quo אין לך טרשין ישראל יותר מחברון *Nullus locus in terra Israelitica saxosus magis, quam Hebron* dicitur, prorsus ut sepulchris ille, ac dormitoriis mortuorum, aptissimus videretur. LIGHTFOOTUS, ut pugnantes conciliet sententi-

tentias, in *Cent. Chorogr. Matthaeo* praemissa p. 207. *Chebronem* quidem urbem in saxoso ac sterili *Iudaeae* monte sitam, agrum autem, vallemque continentem, insigniter fertilem fuisse, commentatur. Et vero laetis regionem illam pascuis floruisse, vel ex eo licet colligere, quod familiarum Iudaicarum parentes ac conditores, rei pecuariae dediti, in iis praesertim locis olim degerunt. Robur addit huic opinioni decantatum illud *Gemaricorum* doctorum proverbium: אילים ממואב וכבשים מחברון, quo in *Chebronitica* regione agnos praestantissimos fuisse significant. Huc animum intendit R. *Bar Chanan*, quando *Absolomum* persolvendi voti caussa ideo *Chebronem* iivisse asserit, ut agnos ad sacrificia peteret: ולקלישא ארעה עברה רעיא ושמן קנוינא, quia tenuis ibi gleba erat, quae gramen ovibus inprimis gratum proferebat.

IV.

Pater ac conditor urbis *Chebron* quis fuerit, multum diuque quaesitum est, nec tamen omnino definitum. *Chamo* eam gloriam IARCHIUS, si non primus, e primis tamen ipse, ad *Num. XIII, 22.* his verbis quadantenus tribuere videtur: אפשר שבנה חם את חברון לכנען בנו הקטן קורם שיבנה את צען למצרים בנו הגדול: At plerique contribulium caussam hanc ideo deseruerunt, quod uero non sit simile, *Chamum* filio natu minori prius de sede ac habitaculo, quam majori prospexisse. *Hetho* igitur *Canaanis* filio, Chami nepoti, ut HEIDMANNUS *Palaest.* C. III. p. 73. refert, *Chebronis* conditae laudem transscribere alii maluerunt, *Hethaeorum*, *Hitthaeorum*, *Chittaeorum* vel *Chetitarum* inducti nomine, quos *Abrahami* aevo *Chebronem*, *G n.*

XXX, indicio, incoluisse, plurimi existimant. *Hetthaeos* sane in Australi *Palaestinae* regione, non in *Sidoniorum* vicinia, quod tabulae *Geographicae* vulgares ac *Parisienses*, *Masium* secutae, ostendunt, olim consedisse, SPANHEMIUS in *Geogr. Sacr.* t. I. *Opp. p.* 22, BOCHARTUS in *Phaleg* L.IV. cap. XXXVI, CLERICUS in *Not.* ad *Gen. X.15.* aliique, evidenter demonstrant. At nec ita istorum in tuto collocatur opinio, cum nihil impediat, quin ad eundem modum ex aequo omnes, quas *Cananaei* olim tenuerunt, certe principes urbes, a *Canaane* conditas esse, concludere queamus. Nec confirmat illam, quod urbem *Iebus*, quae post *Hierosolyma* nuncupata est, à *Iubusaeis* olim, *Sidonem*, urbem regionis cognominis principem a *Zidonis* posteris habitatam esse comperimus: cum ambas illas nomen à conditoribus sortitas esse, *Chebronis* autem nomen nullum *Cheti*, quem conditorem fingunt, vestigium ostendere liqueat. Sunt ergo qui ab *Arba*, *Anakaeorum* celeberrimo, *Chebronem* aedificatam, vocatamque, קריות ארבע *Civitatem Arbae*, cum HILLERO in *Onomast.* S. p. 748. malint existimare. Favet eidem sententiae *Clericus* in *Comment.* ad *Ios. XIV. 15*, qui tamen verba קריית הארבע XI. *civitatem Arbahitarum*, interpretatur. Timidius de ea *Simon Patricius* ad *Gen. XXIII, 2.* judicat, quando *Chebronem* ita dictam esse asserit, vel, quod condita ab *Arba*, vel quod ejus sedes ac domicilium perpetuum fuerit. Confidenter contra CL. MASIUS ad *Ios. XIV,14.15. Chebronem* ab *Arba* non conditam, sed ab ejus principatu, quem diu ibi gesserit, imperioque, appellatam esse affirmet. Et sane, ut *Bethlehem Luc. III, 11.* πόλις Δαβὶδ dicitur, non quasi a *Davide* fuisset condita,

sed

sed quod olim in ea habitasset, in eaque natus esset; ita nec *Arbam* conditorem *Chebronis* fuisse, indubie ex eo evincemus, quod illa קרית ארבע passim nuncupatur. Quae cum ita sint, non defatigabimus ingenium in iis conjectura assequendis, quae temporum injuria insuperabilibus obscurae antiquitatis difficultatibus implicavit.

V.

Quo autem occultior urbis hujus conditor est, hoc ipsa per triplex, quod in sacris literis commemoratur, nomen, jam ab antiquissimis temporibus, clarior fuit. Et communissime quidem חברון vocatur: a qua appellatione, quanquam, ut MASIUS ad *Jos. XIII.* conjectat, nomine קרית ארבע, recentior sit, nos differendi initium faciemus. Nec vero in eo diu anxieque quaerendo laborabimus, cum aspiratione fortiori, an molliori scribenda, pronunciandave vox sit, quando, ut DRUSIUS ad *Num. XIII, 23.* judicat, ne hilum quidem interest, *Hebron*, an *Chebron* dicas, nominaque *Chermon* & *Achiman* per *Hermon* & *Ahiman* ab interpretibus promiscue exprimuntur. LXXII. *Graeci*, Hebraeum חברון fere per χεβρων, sine casuum flexione, reddunt, ut βασιλευς χεβρων *Jos. X.* 5. JOSEPHUS autem pro casuum varietate nonnunquam flexionem variat, ut εις χεβρωνα Lib. V. *Antiqu.* Cap. II. Interpres *Vulgatus* plerumque *Hebron*, HIERONYMUS contra *de Locis*, quem nos sequimur, *Chebron* scribere consuevit. Amplitudo nominis haud dubie ea fuit, quae non modo urbem, sed circum fusam quoque regionem complecteretur. *Calebo* enim, cui attributa *Chebron* dicitur *Jos. XIV, 13. 14. Jud. I, 20.* non ipsam urbem, sed agrum continentem, ac mu-

 nicipia

nicipia *Chebronis* in possessionem data esse, ex *Jos. XXI, 13.* ubi urbs חברון Sacerdotibus concessa legitur, colligimus. Sapienter igitur MASIUS ad *Jos. XXI.* observat, non temere, nec sine caussa, *Calebo* agrum *Chebronis* adscriptum esse, saepius memorari, ne, si quis urbem *Chebron* sacerdotibus concessam esse legeret, *Calebum* haereditatis portione privatum putaret. Id quidem certum est, urbes, quae Levitis cedendae erant, omnes sortito tribubus primum universe obtigisse: nulli autem sigillatim familiae adjudicari singulas potuisse, ut credamus, id efficit, quod postquam in sacerdotum potestatem illae transierunt, familias istas, quarum urbes fuerint, extorres exhaeredesque fieri praeter meritum oportuerit. Ita igitur existimamus, facta sortitione, priusquam singulis familiis, quod universae tribui obvenisset, distribueretur, & sex istas urbes, futura asyla, & XLII. alias, *Levitis* concedendas, designatas fuisse. Quae si ita sunt, quis vel conjectare ausit, urbem *Chebron*, quae neque sub *Calebi*, neque sub posterorum ejus imperio fuit, a *Chebrone*, *Calebi* nepote, cujus mentio I. *Par.* II, 42. 43. iniicitur, nomen esse consecutam? Patronos tamen ac defensores illa opinatio jam olim nacta est EUSEBIUM & HIERONYMUM de *Locis Hebraicis*; propiori aevo ADRICHOMIUM in *Theatro T.S.*, MORERIUMque in *Lexico*, ac post alios nuperrime JO. CLERICUM, qui ad *Gen. XII, 6. Chebronem*, ait, *repudiato vetustissimo Kiriath Arbae nomine, ubi a Calebo expugnata esset, novum ab ejus nepote accepisse.* Imo, nec hoc contentus, ulterius progreditur, & existimat, quod *Mosis* libri ab ipso *Mose* omni ex parte non profecti, sed ab *Esdra*, aut alio, praesertim *Gen. XIII, 18.* ubi verba אשר בחברון

חברון, ut ſitus querceti *Mamre* poſteris accuratius innoteſceret, adjectaretur, paſſim interpolati fuerint, ſiquidem *Chebronis* nomen, *Moſis* aevo, ut putat, recentius, ſaepius in iis reperiatur. Nimirum meminiſſe horum decuit bonum virum, quum ad *Gen. XIV, 14.* unum eundemque locum diverſis de cauſſis nomine eodem inſigniri potuiſſe, commentaturus, eamque ſententiam comprobaturus eſſet exemplo putei in deſertis, qui באר שבע duplici ex ratione *Gen. XXI, 31. XXVI, 33.* vocatur, & loci, quem gemina de cauſſa *Dan* appellatum fuiſſe exiſtimat, ne ipſe ſuorum confutator verborum deprehenderetur. Quidni enim hoc ipſo *Clerici* telo PATRICIUS ad *Num. XIII, 22.* conficiat, *Chebron*, urbis nomen, & *Moſis* aetate notum eſſe, & *Joſuae*, poſterorumve, temporibus caſu aliquo velut inſtaurari potuiſſe? Aut, quid obſtat, quin cum eodem *Patricio*, nepotem *Calebi*, *1. Chron. II, 42. ſeq.* memoratum, potius ab illa urbe nomen accepiſſe, dicamus? Et quid? ſi *Abrahami* aevo *Chebronis* nomen jam inclaruiſſe cenſeamus? Sane, ſi, quod HILLERUS in *Onomaſt. p. 724.* nos docet, nomen חברון vi originis ſuae nihil aliud, quam ſodalitium, vel ſocietatem notat: non abſurde conjecerimus, urbem *Kiriath Arba* vulgo appellatam, ab ipſo *Abrahamo*, honoris cauſſa, & ob memoriam amicitiae ac foederis, quod cum *Mamre*, *Aner* & *Eſcol*, viris illa regione clariſſimis, & cum ipſis *Hetthaeis* pepigerat, nomine חברון, hoc eſt, amicae ac foederatae urbis fuiſſe inſignitam. Tam facile certe noſtra ſe tuebitur ſententia, quam illa LIGHTFOOTI in *Cent. Chorogr. Matthaeo* praemiſſa, pag. 207. quando nomen urbi a paribus ibidem ſepultis, ac velut per mortem conſociatis, veniſſe autumat. Cui non

omnino derogat Civis ejus, *Patricius*, qui ad *Gen. XXIII, 2.* incertum quidem, ait, esse, quo tempore nomen *Kiriath Arba* cum nomine חברון permutari coeperit, suspicari tamen quosdam, id, posteaquam sepulturae locum in ea regione acquisiverat *Abraham*, evenisse. Quae utcunque existimet CLERICUS, non tamen ex verbis אבי חברון 1. *Chron. II, 42. Chebronem, Calebi* nepotem, parentem urbis, autoremque ejus nominis extitisse, extorquebit. Equidem cum CL. MASIO ad *Ios. XIV, 15.* contendere nolim, verba אבי חברון de dominio tantum & imperio urbis *Chebron* interpretanda esse, quemadmodum *1. Chron. II, 21.* dicitur אבי גלעד *pater Galaad*, non quod *Galaaditidi* nomen dederit, sed quod principatum in ea tenuerit. Nam cum, ut jam ante demonstratum est, nec *Calebus*, nec posteri ejus, urbis istius imperio potiti sint: qui a *Chebrone* illo, tanquam domino, eam nomen traxisse crediderimus? Quodsi ad sensum ac mentem laudati ex 1. *Chron.* II, 42. oraculi diligentius attendamus, non ibi sane *Chebronem*, nepotem *Calebi*, quod tamen miror a tam multis eruditissimis creditum esse, sed מרשה, *Maresam*, filium *Calebi*, אבי חברון, *parentem Chebronis* appellari intelligemus. Bardum igitur, expertemque rationis esse oporteat, qui nomine *Chebron* eo loco urbem, non nepotem *Calebi, Maresae* filium, significari, judicaverit, praesertim cum idem *Chebron* versu insequenti quadragesimo tertio pater *Kerachi*, *Tapaachi*, aliorumque filiorum, expresse, definiteque nuncupetur. Eat nunc *Clericus*, librosque *Mosis* propterea interpolatos esse nugetur, quod urbi *Chebron, Calebi* demum aevo, ab ejus nepote nomen impositum videatur.

VI. Al-

VI.

Alterum urbis noſtrae, & idem quidem priore multo antiquius, nomen קרית ארבע eſt, *Gen.* XXIII, 2, XXXV, 27, Joſ. XIV, 15, XV, 13, XXI, 11. commemoratum: de cujus ſingulis vocibus, quum ex duabus ſit compoſitum, ſigillatim ediſſeremus. Vocem קריה & in conſtructo ſtatu קרית nomen eſſe, quanquam non deſint, qui contenderint: rectius tamen, qui vocabulum eam eſſe arbitrantur, eruditiſſimorum quorumvis judicio ſentiunt. Origenes illius *Grammatici* plerique in verbo קרה *accidit*, *evenit*, *contigit*, *occurrit*, *obviam factus eſt*, quaeſiverunt: ex quo COCCEJUS in *Lexico* arguit, non alia de cauſſa urbem קִרְיָה dici, quam quod ibi homines ex agris frequentes ſibi occurrere ſoleant. JOANNES contra FOERSTERVS & קִרְיָה & קֶרֶת, quae vox *Job. XXIX*, 7. omiſſo Jod medio, extat, a tignorum conſtructione (קורה enim *tignum* eſt) appellari, nihilque aliud, quam *contignationem*, denotare, conjectat, *Mercer*ique, & aliorum plauſus de eo eſt conſecutus. Quibus autem rationibus inductus ſit REUCHLINUS, ut קריה & קרת quidem idem quod עיר, non tamen, niſi loca in plano poſita, ſignificare crederet, non interpretamur; nec vel divinando aſſequimur, quid cauſſae ſit, quamobrem *Hieronymus* קריה πολίχνιν, *urbeculam* vel *oppidulum* deſignare exiſtimet, niſi forte ad primordia urbium, quae a parvis initiis, ad magnas plerumque opes ſurgunt, reſpexerit. *Chaldaei* de cetero, ac Judaeorum Magiſtri, rem vocabulis קרתא, קריתא, קריא, קרי, קרוא in primis *Ionathan* vocibus קוריה & ſignificantius קוריתא promiſcue exprimunt. Altera nominis illius antiquiſſimi particula ארבע eſt, quam & ipſam nomen alii, alii vocabulum eſſe opi-

nantur. Qui eam vocabulum esse volunt, merum quaternarium indicans, nomen קרית ארבע, τετράπολιν, hoc est, ejusmodi urbem, quae in quatuor regiones distincta fuerit, ut JANSON in *Indice Geographico p. 57.* refert, interpretantur. Nimirum perinde eam, ut alias urbes regias, in quatuor diuisam esse partes fingunt, quarum unam *curia regia*, alteram *milites*, *cives* tertiam, postremam *Opifices*, ac fex plebis occuparit. Nec alienus ab ea opinione ipse *Divus* LUTHERUS est, qui *Gen. XXIII. 2.* קרית ארבע *die Hauptstadt* interpretatur, & ad idem nomen ita commentatur: *Hebron ist* Kiriath Arba *spricht Mose, das ist die Vierstadt, denn die hohen Hauptstaedte vvaren vor Zeiten alle Arba, das ist, in vier Theile getheilet, vvie Rom, Ierusalem und Babylon Gen. X, 10.* Omni autem prorsus ratione caret, quod LXX, *Graeci Jos. XIV. 15.* verba האדם הגדול, & vocem אבי *Jos. XV, 13.* μητρόπολιν, auctor item *Hierosolymitanae Paraphraseos* קרית ארבע civitatem גוביא h. e. *puteorum* vel *cisternarum* reddiderunt. Felicior multo *Salomo Trecensis* sibi, vix aeque aliis, interpres lusus est, cum *Chebronem* olim קרית ארבע, vocatam esse scriberet, quoniam quatuor illi gigantum celeberrimi, *Achiman, Sesai, Tholmai*, paterque eorum *Anak*, in ea regnum aut certe domum suam habuissent. Qui vero nomen illud vetustissimum a quatuor conjugum paribus, *Adamo & Eva*, *Abrahamo & Sara*, *Isaaco & Rebecca*, *Iacobo* ac *Lea*, illic sepultis, urbi natum esse autumant, cum *Hieronymo*, oportet, sentiant, verbis האדם הגדול בענקים הוא, quibus *Ios. XIV, 15.* Arba gigas describitur, *Adamum* inter *Anakaeos* maximum fuisse, significari. At jam pridem JACOBUS BONFRERIUS ad *l. c. Hieronymi* oscitantiam castiga-

stigavit, per quam vocabulum ארבע ה litera ἐμφατικὴ munitum, cum nomine ארבע, repugnante licet orationis compositione, praeter apertam, ac in sole positam verborum mentem, permutavit. Et quid, si, quod multi verosimilius arbitrantur, *Adamus* in *Calvariae* loco sepultus fuit? Ad *Chebronem* certe, ut sepulchrum ejus quaeramus, nulla vel religione, vel idonea autoritate, obligamur. De ceteris, quos nominavimus, patriarchis id quidem ex *Gen. XXV, 9. XLIX, 29. 31. L, 13.* rectius constat: Parum tamen idonee concluseris, *Chebronem* קרית ארבע appellatam esse, propterea, quod in spelunca *Machpela* humati sint cum uxoribus illi gentis Judaicae conditores. Nam ut de *Adami* sepulchro, non dicam dubia reddita, sed explosa est, paulo ante quorundam opinatio: ita non minus incertum est, in sacris saltem literis definitum haud est, in eademne spelunca, an alio loco, *Rebeccae* ossa condita fuerint? Nec est, quod *Iosephum* ibidem potius, quam *Adamum* quaerere velis, quippe quem prope *Sichemum* fuisse contumulatum ex *Ios. XXIV, 32.* cognoscimus. Sed & speluncam illam ab urbe *Chebron* certo spatio, quanquam a nobis haud temere definiendo, distinctam fuisse, ut credamus, id nos movet, quod non tantum campus, in quo specus fuit, *Gen. XXIII, 19.* שרה מכפלה vocatur, sed idem quoque ille campus *v. 17.* במכפלה, in *Machpela* situs dicitur. Ex quo confici cum *Vatablo*, *Drusio*, *Hackspanio*, *Simone Patricio*, & *Gvilielmo Vorstio Animad.* in *Pirke Elieser p. 179.* putamus, מכפלה nomen regiunculae aut provinciae esse, in qua & agrum & speluncam illam *Ephron Chittaeus* possidebat. Quae cum ita sint, sane haud apparet ratio, quamobrem non campus ille, quem emerat *Abrahamus*, siqui-

siquidem IV. ibi fuissent patriarchae conditi, sed urbs dissita, *Chebron* קרית ארבע nomen tulerit. Habeant itaque sua sibi commenta *Rabbini*, quae in בראשית רבא confertim afferunt, iique, quibus vox ארבע vocabulum potius, quam nomen videtur. Nobis persuasum omnino est, eam nomen esse, propterea quod *Jos. XIV.* com. ult. diserte *Chebron* dicitur לפנים antiquissimis iam temporibus קרית ארבע ab *Arba*, qui האדם הגדול בענקים *vir inter Anakaeos maximus* extitit, appellata. Denominationis hujus caussam varii varie reddunt, prout quisque *Arbam* ibi vel natum educatumque, summa rerum potitum, vel conditam etiam ab eo ipsam urbem esse, sibi persuaserit. Haud equidem inepte quis conjecerit, *Chebronem* קרית ארבע ab *Arbae* istius diuturna commoratione, quemadmodum *Carrae* olim עיר נחור ab incola *Nahoro* dictae sunt, aut, quod *Arbae* patria esset, quemadmodum *Bethlehemum* πόλις Δαβὶδ nuncupatur, appellari potuisse: verum ex tantis antiquitatum tenebris vix probabiliorem eruemus sententiam ea, qua *Chebronem* קרית ארבע, perinde ut olim Hierosolyma עיר דויד a *Davidis* occupatione vel imperio, ab *Arbae* dominio ac principatu nominatam esse statuemus. Hanc in rem DRUSIUS ad *Gen. XXIII. 2. Meo*, inquit, *judicio dicta fuit urbs illa Kiriath Arbae*, vel πόλις Ἀρβα aut Ἀρβε, (non Ἀργὸβ vel Ἀρβοκ ut *Jos. XIV, 15. & XV, 13.* ipso *Hieronymo* in *Locis* & *Tradit.* judice, mendose apud LXX. legitur) *quod Arba in ea cum imperio esset.* Eadem fere MASIUS, qui maximum eruditorum applausum meritus est, ad *Jos. XIV. 15.* commentatur. E Judaeorum magistris, praeter *Aben-Melechum*, ABENEZRA *Comment.* in l. c. שם אדם הגדול בענקים, ait, ארבע nomen viri inter *Anakaeos*

nakaeos clarissimi extitisse. Vocem enim גדול non tam de corporis mole, quae, ut HILLERUS *Onomast. S.p.748.* docet, quatuor ulnas vel cubitos non excessit, quam de dignitate ac principatu, quem *Arba* in *Anakaeis* tenuit, intelligendam esse, DRUSIUS l. c. inde comprobat, quod vocabulo גדולים alibi quoque *Magnates* indicatos deprehendamus. Neque vero huic interpretationi officit, quod *Jos.* XV, 13. Arba אבי ענק nominatur, quandoquidem, teste *Masio*, l. c. vox אב *principem* aeque ac *parentem* gentis significare soleat. Quae si vera sunt, nihil impedit, quin & ante *Arbam Anakaeos* extitisse & *Arbam* ipsum אבי ענק, *patrem* h. e. *principem Anakaeorum* sua aetate fuisse, ex eoque urbem *Chebronem* קרית ארבא nomen traxisse existimemus.

VII.

Ipsa demum illa קרית ארבע etiam nomine ממרא coepit appellari. Sepulchralis enim illa spelunca, quam *Abraham* ab *Ephrone* emit, על פני ממרא *in faciebus*, hoc est, *e regione Mamre*, היא חברון quae (*Mamre*) *Chebron* ipsa est, *Gen. XXIII, 19.* collocata fuisse dicitur. Hinc recte HIERONYMUS de *Locis Hebr.* ad nomen MAMRE: *Haec est Chebron*, inquit, *juxta quam sepultus est Abraham cum Isaac & Jacob.* Applaudunt ei ADRICHOMIUS in *Theatro T.S.* DRUSIUS ad *Gen. XIII, 18.* HILLERUS in *Onomast. S.p.876.* alii, & ex *Judaeis* praeter ceteros contribules sigillatim *Autor* בראשית רבא *Sect. LVIII.*, qui tamen, teste LIGHTFOOTO, in *Op. Posth. p. 68. Chebroni* etiam nomen *Escol* a fratre *Mamre Gen. XIV, 13. 24.* in *Abrahami* amicis ac sociis numerati, nullo licet vel divini Codicis, vel antiquitatum, testimonio fultus, extitisse fabulatur. Quod opinionis commentum, ut sua

se levitate facile prodit: ita, qui fieri potuerit, ut urbs *Chebron*, in medio *Hitthaeorum* sita, ab homine *Amoraeo*, qualis *Mamre*, indicio *Gen. XIV, 13.* fuit, nomen sortiretur, difficilius judicatur. Sane quod *Abrahamus* sepeliendae ad *Chebronem* Sarae facultatem, *Gen. XXIII, 7.* seqq. exoraturus, *Hetthaeis* supplicavit, id ejusmodi est, ut omnem illam regionem *Hetthaeorum* imperio subfuisse, arguere videatur. *Amoraeos* igitur, quorum regnum *Num. XXI, 24.* מארנן עד יבוק עד בני עמון ab *Arnon usque ad Iabok & fines Ammonitarum* pertinuisse traditur, quomodo in urbe *Chebron* potentia & auctoritate floruisse dicemus? Nimirum ut illa, quam diximus, *Moabitarum* terra, multo post *Abrahami* aetatem demum ab *Amoraeis*, opum viriumque accessione auctis, capta, occupataque est: ita *Amoraeam* gentem a suis inde initiis semper intermistam *Hetthaeis*, *Iebusaeisque*, fuisse in *Num. XIII. 29.* innixi, non est, cur dubitemus. Nihil ergo impedit, quo minus ipsam urbem *Chebron* olim in *Amoraeorum* potestate fuisse asseramus. Nam quod *Gen. XXIII. 2. Sara*, cui sepulchrum ab *Hetthaeis* petiit *Abraham*, בקריות ארבע mortua dicitur, quis inde *Chebronem* Amoraeorum civitatem fuisse iverit inficias, cum noverit, literam ב vocibus praefixam, haud raro per latinorum AD, JUXTA, PROPE, exprimi oportere, ipsumque *Abrahamum*, in cujus tentoriis *Sara* haud dubie diem obiit, non in ipsa urbe, sed propter eam incoluisse? Nec vero cum civibus urbis *Chebron*, sed cum עם הארץ, incolis illius regionis, aut agri, *Abrahamo* de *Sarae* sepultura agendum fuit v. 7. Ipse insuper *Ephron*, non in *Kiriath Arba*, sed בתוך בני חת *in mediis Hetthaeis*, vel *inter Hetthaeos*, habitasse v. 10. & praesente populo, qui portas

portas non urbis *Chebron*, aut *Kiriath Arbae*, sed עירו, *urbis ejus*, quae *Ephroni* patria fuit, aut habitaculum praebuit, a *Kiriath Arba* distincta, cum *Abrahamo* dicitur transegisse v. 10. 18. Accedit, quod, urbem *Chebron* ab ultima aetate usque ad *Iosuae* tempora in *Anakaeorum* sive *Gigantum* potestate fuisse, & nomen קרית ארבע, & historia bellorum Israeliticorum arguat. *Amoraeos* autem in Gigantibus habendos esse, vix dubitare nos sinit AMOSUS, vates divinus, quando *Cap. II, 9. Amoraeorum* staturam cum cedrorum proceritate, & vires cum quercuum robore componit. Quodsi quis gigantum nomine *Hitthaeos* maxime censendos esse contenderit, propterea quod a חתת *terruit*, horrendaque corporum mole, appellati videantur, haud equidem refragabimur diu, si *Caminio*, ad *Jud. I, 26.* ex eadem nominis notatione arguenti, concesserit, *Hitthaeos* non gentem *Cananaeae* peculiarem, ab *Amoraeis* distinctam, sed familiam tantum *Amoraeorum*, praeter ceteras bellicosam, vicinisque terribilem, qualis *Anakaeorum*, sive *Raphaeorum* fuit, extitisse. Id si non tutum satis, exploratumve, putaverit, Amoraeorum saltem nomen omnibus *Cananaeae* terrae populis aliquando commune fuisse ex *Gen. XV, 16.* facile sibi persuaserit. Quibus constitutis conficitur, urbem *Chebron* a *Mamre* האמרי, *Amoraeo*, sive generatim eum a communi *Cananaeorum* populorum appellatione, sive speciatim, qua ceteris *Cananaeorum* gentibus, *Amoraeorum* nomen opponitur, ita vocatum esse credamus, viro quippe principe, nuncupari facile potuisse. *Hetthaeos* autem, nisi vel *Amoraeos* ipsos esse, vel tam interdum ample acceptum eorum nomen putaverit, ut *Amoraeos* etiam, quemadmodum

Amoraeorum nomen *Hetthaeos Gen. XV, 16.* complecteretur; nihil obstat, quin vicinum urbi *Chebron* agrum tenuisse, proximosque adeo *Amoraeis* ipsam urbem incolentibus, fuisse, existimemus.

VIII.

Liquet ex iis, quae disputavimus, *Chebronem*, saltem *Abrahami* aetate, *Mamre* fuisse appellatam. Quod ipsum nomen cum & loco, in quo ABRAHAMUS tentorium fixerat, passim tribui videatur, scisitandum nunc est, quibus ex caussis, aut quo jure id fiat. Atque ut primum, quae huc pertinent, oracula expendamus, Abrahamus quidem *Gen. XIII.* v. ult. relicta *Bethele*, iisse et consedisse באלני ממרא, loco ab urbe *Chebron* verbis proxime insequentibus בחברון אשר significanter distincto: IACOBUS autem *Gen. XXXV, 28.* ad *Isaacum*, patrem, ממרא קרית ארבע venisse dicitur. DRUSIUS praeter ceteros ad *Gen. XIII, 18.* in notis Majoribus אלני ממרא nomen praedii, sive pagi, MAMRE *Amoraei* imperio subjecti, interpretatur. Quae quidem expositio etsi nostrae de *Mamre*, urbis *Chebron* nomine, opinioni non magis officit, quam nomini urbis *Ienae* id, quod pagum cognominem *VVenigen Iehna*, vicinum habet: a nobis tamen justas ob causas deseritur. Vbi enim oracula superius recensita accuratius contemplamur, nulla nos ratione id agi deprehendimus, ut nomen *Mamre* etiam vico, quem ABRAHAMUS atque ISAACUS incoluerunt, commune fuisse arbitremur. Nam quod IACOBUS ad patrem suum, *Isaacum*, ממרא isse dicitur, id quidem generatim regionem, viciniamque urbis *Mamre* designat, in qua *Isaacus* sedem fixerat, et versus quam *Iacobo* iter erat faciendum. Confirmat id

adje-

adjectum nomen קרית ארבע, quo urbem quidem *Mamre* olim, nunquam vero pagum quendam, gaviſum eſſe accipimus. Nec eſt, cur quis aſſerere malit, nomina קרית ארבע ממרא hoc loco in ſtatu, quem conſtructum vocant *Grammatici*, eſſe poſita, priusque pagum, in quo habitaverit ISAACUS, poſterius urbem, ſeu potius territorium urbis, quod pagum illum continuerit, ſignificare: cum jam *Abrahami* temporibus antiquatum ſit *Kiriath Arba* nomen, nec commemoretur in ſacris unquam literis, niſi per appoſitionem, cum recentioribus urbis nominibus conjunctum. Ivit igitur IACOBUS ad patrem ſuum ממרא verſus urbem *Mamre*, et quidem eam, quae olim קרית ארבע nuncupabatur. Sed *Abrahamum* quomodo באלני ממרא אשר בחברון, ſalva ſententia noſtra, habitaſſe dicemus? Nimirum adhibet primum MOSES, *Abrahami* ſedem, quae באלנים *in quercubus*, vel *querceto*, urbi *Chebron* vicino fuerat, deſcripturus, nomen urbis ſua aetate obſoletum, ממרא, idque nomine חברון, omnibus ea tempeſtate noto, deinde explicat: prorſus ut verborum ſenſus is ſit: Habitaſſe *Abrahamum* in quercubus *Mamre* h. e. urbi *Mamre* vicinis, quae jam prope *Chebron* conſpiciantur. Vocem אלני quanquam vocabulum eſſe nobiscum plurimi ſtatuunt: iidem tamen in ea interpretanda non parum ſunt diverſi. ONKELOS, אלני vocem, מישר *planitiem* reddit, LXXII. δρῦν *quercum* vel *quercetum*: ABENEZRA promiſcue τὸ אלון per שרה *campum* ſive *planitiem*, & per עצים arbores, in quarum numero quercus, quas frequenter plantarunt, coluerintque veteres, ſunt, exprimit. Plerisque tamen magis poſterior placuit vocabuli אלון interpretatio, JOSEPHO inprimis

Lib. I, Antiqv. c. XII, SANTI PAGNINO, VATABLO, noviſſime CLERICO, qui ad *Gen. XII, 6. Si enim* אלה, inquit, *quercus eſt, quidni etiam* אלון? LUTHERUS, ne certum genus arborum definire cogeretur, אלני lucum dixit, *einen Hayn*, locum modo unius, modo plurium generum arboribus conſitum. DRUSIUS l. c. *Onkeloſum*, qui מישר, & *Ionathanem*, qui ſenſu eodem חזוי eo in loco adhibet, cum LXX. qui ὄψῶν notionem hic uſurpant, videtur conciliare voluiſſe, quando perinde ut *AbenEzra*, אלון *planitiem* aeque ac *quercum* ait ſignificare. Nec ſane ſi noſtri mores ſeculi cum priſcis aetatibus conferre liceat, id temere dictum exiſtimemus, cum clariſſimas paſſim, exterorum praeſertim, urbes, quamvis in excelſo poſitas, extra pomeria, qua planum eſt ſolum, arboribus, ordine juſto ac decenti poſitis, cingi videamus. Quanto autem ſpatio *Chebron* a *Terebintho*, quo nomine locus ille, ſive planities fuerit, ſive lucus, quercetumve, in quo conſederunt patriarchae, frequenter indicatur, abfuerit, in tanta ſententiarum diuerſitate difficile eſt definire. SOZOMENUS *Libr. II. Hiſt. Eccleſ.* c. IV. iter XV; JOSEPHUS de *Bello L. IV. c. VII.* tantum ſex ſtadiorum; alii duorum miliarium, & BROCARDUS denique in *Deſcriptione Loc. T.S. p. m. 185.* dimidiae leucae eſſe contendunt. Ceterum illud ex SOZOMENO l. c. rectius conſtat, ad locum iſtum, quem *Terebinthum* vocabant, quotannis *Palaeſtinos*, finitimosque populos, non tantum mercatus, ſed etiam religionis cauſſa, quondam conueniſſe, eundemque a *Iudaeis*, *Chriſtianis*, aliisque gentibus ſemper ſanctum eſſe habitum, propterea quod ibi ABRAHAMUS aliquando coeleſtes genios hoſpitio excepiſſet. De mercatu ad

Tere-

Terebinthum, cui plura nosse libet, HIERONYMUM audiat ad *Ierem. XXXI.* dissérentem. Nobis notandi jam ii sunt, qui אלוני ממרא & אלון מורה loca distinctissima, pro eodem habent, quorum agmen novissime, quod miramur, clausit, JOANNES CLERICUS, qui ad *Gen. XIII. 18. De priore*, inquit, *voce* (אלני) *diximus ad Cap. XII, 6. & videtur quidem significari locus, qui quercetum Moreh ibi vocatur, sed hic a Domino nomen trahit.* Passus est sibi, si quid conjicimus, bonus ille vir imponi ab auctore Scholiorum, quae in editione bibliorum *Graecorum* Romana ad *Gen. XII, 6.* in locum verborum *Ebraicorum* עד אלון מורה *Graeca* ἕως δρυὸς μαμβρῆ subsstituunt. Decuerat autem CLERICUM id, quod explorato certum est, meminisse, אלון מורה, *quercetum Moreh* locum fuisse juxta *Sichem* Jordani proximum; אלון ממרא contra, sive *quercetum Mamre*, propter *Chebronem* in meridionali tribus *Iudaicae* regione extitisse. ABENEZRA certe ממרא & מורה diversa esse nomina, eum docere poterat, qui ad *Gen. XII, 6.* ita commentatur: יש אומרים שהוא (Moreh) ממרא בעל ברית אברם ויתכן שהוא אח׳ ויהי אלון מורה שם מקום: Postremum, quo jure, quave injuria, Graeci, Vulgatusque, Interpretes, vocem מורה pro vocabulo acceperint, & δρῦν ὑψηλὴν, *convallem illustrem* dixerint, nostri nunc instituti non est definire.

IX.

Expositis ita, quantum in viribus fuit, urbis nominibus, de antiquissimis etiam incolis ejus aliquid est dicendum. Hi, ut ex *Num. XIII. 22. 33.* constat, generali appellatione נפילים & quidem ילידי הענק sive בני ענק, nominatim אחימן, ששי, & תלמי, fuerunt. Ibi enim

com-

com. 33. exploratores se vidisse ajunt, הנפילים בני ענק מן הנפילים Horum verborum nullum, nisi primum, expressere per τὸς γίγαντας LXX. *Graeci*: VULGATUS omnia verbis: *Monstra quaedam filiorum Enak de genere gigantaeo*: reddidit. ONKELOSIUS הנפילים vocat גבריא, perinde ut Interpres *Syrus* ܓܒܪܐ, hoc est, *fortes* ac *robustos*: בני ענק autem *Syrus*, contra quam *Chaldaeus*, qui easdem voces retinuit, ܒܢܝ ܥܢܩ ܓܒܪܐ, *filios fortium* sive *robustorum* interpretatur. Eadem fere mente ARABS Londinensis הנפילים جلوحيم, *viros validos* ac *praepotentes*, & בני ענק الجبابرس بني عنق *filios potentum*, teste GOLIO, in *Lexico*, appellat. SYMMACHUS contra הנפילים βιαῖος, *violentos*, AQVILA autem *Ponticus*, ἐπιπίπτοντας, *irruentes*, a vi & incursionibus, quas ab iis factas crediderunt, haud dubie dicendos esse putarunt. Dedit huic interpretamentorum diversitati occasionem, varia verbi נפל, a qua originem vox נפילים traxit, significatio, quae cadendi, ruendi, deficiendi, procumbendi, dejiciendique notionem complectitur. Prima הנפילים mentio *Gen. VI, 4.* facta est, ubi δαίμονας ex coelestium geniorum cum filiabus hominum concubitu progenitos, intelligendos esse AMBROSIUS *Libr. de Noë c. IV.* SULPITIUS SEVERUS *Libr. I. Hist. c. VIII.* LACTANTIUS *Libr. II. de Orig. Error.*, aliique, contenderunt. Qui boni viri, si Ebraice calluissent, ex diligenti forte Ebraicorum verborum pensitatione cognovissent, הנפילים ante, quam filii Dei, hoc est, *Sethi* posteritas, cum filiabus hominum, *Cainitarum* puto, concumbere coepissent, ex infami *Cainitarum* gente ortos, maximo debiliorum, pii inprimis caetus,

tus, malo, extitisse. JACOBUS BOLDUCIUS, ex *ordine Minorum Capucinorum*, sua stoliditate notus, perditaeque frontis homo, in *Tractatu* de *Ecclesia ante Legem* cap. VIII, IX, X. הנפילים non homines praegrandes ac imperiosos, sed בני אדם *filios hominis*, hoc est, *terrenos, mundi & carnis voluptatibus affixos, saevos, superbos, impios*, vel etiam, ut cap. X. *seqq.* habet, *viros pietate celebres, dignitate* item *& auctoritate famosos*, in quibus etiam sanctissimos patriarchas, utpote primos humani generis, divinique cultus, propagatores, sigillatim numerat, fuisse audacter affirmat. Videtur BOLDUCIUS ex parte MACROBIO opinionis duce usus, quippe qui *Saturn. I. 20. Gigantes*, ait, *fuisse gentem hominum impiam, Deos inficiantem: ex quo, Deos pellere de coelo voluisse, coeperit existimari.* CLERICUS ad *Gen. V, 4. non immerito quosdam*, ait, *dubitasse, an statura solito altior voce* נפילים *significetur.* Quanquam igitur eam a verbo נפל omnino deducendam existimat: SYMMACHI tamen & AQVILAE auctoritate motus, plerumque, sigillatim *Num. l. c.* הנפילים eos interpretatur, qui subito in viatores, aut incaute ruri versantes, more latronum, impetum faciunt. Quam nos expositionem si vel maxime comprobemus; eosdem tamen הנפילים & *Gigantes* fuisse nihil impedit, quin credamus, cum vel ex ea caussa ad exercenda latrocinia aptiores extitisse videantur. Nec vero est, cur הנפילים nomine insolentis staturae homines notari dubitemus, quando ipsi exploratores *Num. XIII.* quem, cum in meridionali *Palaestinae* tractu haererent, viderant populum, אנשי מדות, ἄνδρας ὑπερμήκεις, ut LXXII. *Graeci* reddunt, *viros mensurarum*, hoc est, ejusmodi, qui ceteros homines corporis mole excede-

rent,

rent, & גדולים וגבוהים *magni* & *alti*, ut JARCHIUS ad l. c. ait, essent, appellant. Nimirum ejusmodi *Gigas* ille *Gathaeus* fuit, qui *1. Chron.* XX, 6. איש מדה, a SYRO ܓܒܪܐ ܪܡܫܘܚܬܐ *vir monstrosae molis*, a LXXII. GRAECIS ὑπερμεγέθης, *insigniter procerus*, a VULGATO *longissimus* nuncupatur. Movit id haud dubie ipsum *Clericum*, ut ad *Num. XIII, 34.* vel invitus tandem fateretur, נפילים homines Israelitis proceriores fuisse. Quod autem inde, נפילים Gigantes fuisse, colligi non posse subjungit, id fere ejusmodi est, ut, cum *Israelitas* justa virorum statura gavisos, gigantes contra non alios, quam qui communem hominum molem insigniter excederent, esse constet, aut, quod prius dixerat, tollat, aut explodi mereatur. Videri cuiquam poterat THEODORUS RYCKIUS cum *Clerico*, *Bolducioque* sentire, qui in fine *Orationis* de GIGANTIBUS, *Lugduni ad Rhenum X. Kalend. Octobr.* cIↃ IↃ CLXXXI. habitae: *Credimus*, inquit, *simulque dolemus*, *gigantes*, *quales a Mose*, *sacrisque Scriptoribus proponuntur*, *exinde semper fuisse*, *nondumque desinere*, *qui hostes sunt sempiterni*, *non modo summi illius omnium hominum domini atque rectoris*, *sed ipsorum etiam hominum.* At non est, cur id affingi viro patiamur, qui, quos Gigantes vocamus, ad sex, septemve pedes, aut cubitos, plerumque accrevisse, omnemque *Basanitarum* gentem ejuscemodi fuisse, sacrarum literarum, FLAVIIque JOSEPHI, qui *Antiquit. Libr.* V. c. II. sua etiam aetate ossa eorum extitisse ait, auctoritate permotus, statuit, nostroque praeterea seculo, praesertim in terra *Magellanica*, Gigantes, quos *Patagones* Magellani vocant, reperiri affirmat. Nimirum & nos cum

eodem

eodem priſcos illos gigantes profligatiſſimi moris, vitae ſceleratiſſimae, ac religionis nullius homines fuiſſe, aſſerimus, quicquid contra deliri verpae, mendaces poetae, hiſtorici, aut creduli nimis, aut veteratores, fabulentur. Audiendus hic, noſtro quidem judicio, inprimis quoque eſt HENRICUS HULSIUS, quando in *Melchiſedeco ſuo* p. 54. הנפילים homines fuiſſe, dixit, non tantum corpore proceros, ſed ingentes etiam animo, & in occupanda, ſtabiliendaque, tyrannide effraenes, ac impotentes. Tria enim haec veluti κριτήρια verorum הנפילים, ac χαρακτῆρας, ipſa divinior hiſtoria, accuratius expenſa, ex *Hulſii* mente, conſtituit. Et corporis quidem proceritatem, iis *Num. XIII.* diſerte ab exploratoribus terrae *Cananaeae* attributam, exemplis OGI, *Baſanitae*, GOLIATHIque, inſigniter ait confirmari. Ingenii illorum, rerumque ab iis praeclare inventarum, geſtarumve, egregium eſſe argumentum appellationem אנשי שם מעולם, *virorum nominis a ſeculo*, qua eosdem divini ſcriptores dignantur. Potentiae denique eorum, tyrannidisque indicium facere nomen גבורים, quo MOSES ipſos appellat, & κατοδμῶν, *jus in manu habentium*, aut *per manus exercentium*, quod HESIODUS iis tribuit, quoniam perinde, ut venatores illi, ac robuſti, a facta eluvione libertati alienae ſint inſidiati. Nos, accuratiori ſententiae hujus examine aliis relicto, in נפילים ſive gigantum numerum *Chebronis* incolas ענק בני, ſigillatim *Achiman*, *Seſai* & *Talmai*, clariſſimas *Anakaeorum* familias, quae מן הנפילים fuiſſe dicuntur, potiſſimum referri oportere judicamus.

X.

Differunt vero הנפילים & בני ענק tanquam genus a ſpecie, aut totum a parte. Neque enim ARIAE MON-

TANO largimur, הנפילים gentilitium fuisse nomen, ab *Anakaeis*, populo quippe a *Cananaeis* ceteris diverso, crudeli, tyrannico, omnibusque infesto, distinctum. Nam ut in nullo id divini Codicis argumento innititur; ita ex eo, quod, quos אנשי מרות exploratores vocant, eosdem & נפילים communi velut vocabulo appellant, & מן הנפילים ex istis Gigantibus בני ענק fuisse ajunt, haud obscure refellitur. בני ענק, quos & ילודי ענק sacra historia nuncupat, JUDAEI *posteros Anaki*, LXXII. GRAECI γενεὰς Ἀνάχ, CHALDAEUS JONATHAN מרביני רענק, τροφίμους, *alumnos Anaki*, interpretantur. Alii nomen ענק in vocabulorum classe ponunt, nec tamen in definienda ejus significatione conspirant. CONSTANTINUS quidem l' EMPEREUR in *Not.* ad *Itiner. Benjamin. Tudelens. p. 186.* ענק, ait, *a torque, quem gestarent, appellari, probabile esse, propterea, quod verbum* ענק, *collum torque cingere, significet.* CLERICUS contra ad *Num.* l. c. ענקים dictos esse vult ab ענק, qua penes *Ebraeos* aeque ac *Arabes*, *collum complecti*, aut, *manibus collo injectis ad se trahere*, designat; indeque, cum παγκρατίζειν vox *Graecorum* palaestrica sit, ענקים *luctatores grandioris staturae* fuisse conjectat, quoniam idem verbum ענק ab *Arabibus* communiter de rebus, quae eminent, ac ceteris longiores sunt, solet usurpari. Arbitrum harum opinionum JOBUM LUDOLPHUM in *Comment. in Hist. Æthiop. Libr.* I. c. II. n. 22. audiamus, qui prorsus ad rem: *Ex* בני ענק *filiis Anak*, inquit, *homines torquatos facere velle, perridiculum est. Qui enim istud faciunt, non meminerunt loci Deut. II, 10. 11.* עם גדול ורם כענקים, *populus magnus, multus & excelsus, instar Anakim.* Quis non videt, de gente, non fami-

familia, sermonem esse? Fatemur equidem, nomen ענק *Jud.* I, 20. cum ה ἐμφατικῶ, ut vocant, reperiri, quo videtur ex *Grammaticorum* opinatione prohiberi, ne id in nominibus habeamus. At cum nulla tam perfecta sit regula, cujus auctoritatem non quaedam exempla eludant, nomenque ענק & ענקים plerumque illo ה destitutum alias offendamus, & ipsa denique vocabula, auctore GVILIELMO ROBERTSOHNO *Thes. L. S.* in voce רפא, appositio ה חיריה nomina fiant: non est, cur vocem ענק nomen esse & permanere dubitemus. Illud ergo nunc quaerendum est, *Anakum*ne *Arbae*, an *Arbam Anaki* patrem fuisse, credi oporteat? Res quidem omnis pridem confecta videri poterat ab ipso JOSUA, qui *Cap. XV, 13. Arbam* diserte אבי ענק *patrem Anak*, vocavit: prorsus ut non obstet, ענקים, gentis giganteae appellatio, cum nec ABRAHAMI posteri, ab ultima sua stirpe *Abrahamitae*, sed a nepote *Abrahami Israelitae* nuncupentur. At quis nescit, vocabulo אב haud raro *dominum, regem, principem, patrem patriae*, ut *1. Chron. II, 21.* significari? Et quis cum *Arba Jos. XIV.* v. ult. vir magnus בענקים ex *Anakaeis*, vel inter *Anakaeos*, dicatur, regiaque adeo, vel principali dignitate, in ea gente eminuerit, non *Anakaeorum* nomen *Arba* antiquius, ipsumque *Arbam* ab *Anako* potius duxisse genus existimet? THEODORETUS sane *Quaest. in Gen.* p. 34. *Anakum* Ἀπόγονον τῶν γιγάντων vocat: cui MASIUS pollicem premit, quando ad *Jos. XI, 13. Prope*, inquit, *ego statuerim, Arbam fuisse patrem Sesai, Achiman, Tholmai, a quo Chebron Kiriath Arba olim dicebatur, at Anak universi istius hominum generis auctorem?* Arbam autem, ais, qui urbi diu ante Abrahamum nomen

 dedit,

dedit, quo pacto patrem Sesai Achiman & Tholmai, gigantum, quos exploratores Judaei Chebrone viderant, fuisse dices? Nimirum arguunt illa filiorum *Arbae* nomina *Num. XIII*, 34. non ipsos, sed ipsorum posteros, quemadmodum *Israelis* nomen saepe *Israelitas*: quod animadvertisse videntur cum *Chaldaeis* LXX. *Graeci* Interpretes, qui, omissis istis nominibus, generatim υἱὸς γιγάντων *Chebrone* habitasse, l.c. scripserunt. De illorum nominum notatione id habemus compertum, esse, qui ששי a שש quasi *Sextium*, hoc est, virum sex cubitos altum; תלמי a תלם, *sulcum*, hoc est, virum, qui sulci longitudinem exaequet, aut sulcum quasi, ubicunque iverit, trahat; אחימן denique, quasi אחי־מן, *frater meus quis est?* ita ut neminem cum eo comparandum esse significent, aut, quasi ex vocibus אח & תמונה conflatum, *imaginem fratrum*, interpretentur. Quamuis itaque recte constet, antiquissimos *Chebronis* incolas insolenti corporis mole excelluisse, prorsus ut in proverbium abierit: מי יתיצב לפני בני ענק *Quis potest consistere coram filiis Anak?* caussamque habuerint exploratores, cur eos, quemadmodum τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα Homerus, inprimis crebrius commemorarent: sesquipedali tamen usi sunt mendacio, quando se, ad illorum gigantum magnitudinem exactos, locustarum instar fuisse dixerunt. Vocabulum enim חגב quod in Ebraeo est, *locustam* vere significare, praeter ceteros BOCHARTUS contendit, qui praeterea *Hieroz. Part.* II. p. 444. originem ejus ex *Arabico* חגב *Chagaba, volare*, eo, quod locustae turmatim volent, solisque adeo lumini velum quasi obtendant, petendam esse censet.

XI.

XI.

Denique רפאים nomine בני ענק interdum insigniri ex *Deut. II, 11.* cognoscimus. Originem nominis a רפה, *defecit*, *languit*, *remissus fuit*, *desiit*, *cessavit*, plerique Critici ducunt, indeque רפאים appellatos fuisse putant homines horrendae staturae, quorum vel solo aspectu animi intuentium langueścerent, atque deficerent. Sunt tamen, qui רפאים *manes*, *horrenda mortuorum simulacra*, interpretari malint: inter quos ABENEZRA ad *Num.* l. c. רפאים על שם שכל הרואה אותם ירוו מרפוי & JARCHIUS ad *Gen. XIV.* רפאים שכל הרואה אותם ימות לבו ויחבש מהרפאים שהם מתים. At eos diris impetant *Medici*, qui nomen רפאים quasi a רפא *mederi*, *sanare*, *curare*, deductum, *Curatores*, *Sanatores*, *medicos*, reddunt, verbaque *Jesaiana Cap. XXVI, 14.* רפאים בל יקומו cum LXXII. Graecis, in artis salutaris calumniam ita exponunt: Ἰατροὶ δὲ μὴ ἀναστήσασι. Quod si rem accurate putemus, בני ענק ex immani, inusitataque corporis mole nomen רפאים adeptos esse, inveniemus. Cujus quidem sententiae argumentum haud obscurum est, quod *Deut. II, 10. Emaei*, antiquissimi *Moabiticae* terrae incolae, cum *Anakaeis* componuntur, dicunturque fuisse: גדול ורב ורם כענקים *populus magnus*, *multus*, & *altus*, *quemadmodum Anakaei.* Nec obstat, quod ex *Gen. XIV, 5.* cum *Cap. XV, 20.* collato, integrae gentis; *2. Sam. XXI, 18.* & *1. Chron. XX, 4. seqq.* autem unius viri, gigantum quatuor patris, illud nomen fuisse animadvertimus. Nam gentem illam רפאים giganteam fuisse, cum e regione, quam incoluerunt, *Gen. XIV, 5.* indicata, עשתרת קרנים in *Basanitide*, tum ex gentibus adjunctis, *Zuzaeis* nimirum, & *Emaeis*,

Emaeis, quos Gigantes fuisse, paulo post demonstrabimus, idonee colligitur. Tanto igitur minus ab *Anakaeis* רפאים nomen alienum est, quod & ipsi, ut supra ostensum est, gigantes extiterunt, sive illud ex insolenti tantum statura, qua *Raphaeos* exaequabant, eos traxisse, sive gentium cognatarum,& permixtis sedibus habitantium, nomina a Scriptoribus divinis interdum permutata esse credamus. HILLERUS certe, V.Cl. in *Onomast.* p. 285. inter *Amoraeos*, qui montana tribus *Daniticae* & *Judaicae* occuparunt, *Jud. I, 34. 35. Raphaeos* fuisse, quos *Anakitas* vocarent, haud inepte auguratur. Ceterum הרפא, illum quatuor gigantum patrem, nisi quis ex tam felici filiorum proventu nomen consecutum esse putaverit: certe non mirabitur, viro uni proprium fuisse nomen, quod universae genti aliquando commune erat.

XII.

Vt ut vero ex hactenus disputatis manifesto constet, urbis *Chebron* incolas, dominosqve antiqvissimos, gigantes fuisse: tantum tamen abest, ut hoc unum eorum domicilium putemus, ut potius amplissimis eos per *Orientem* sedibus habitasse asseramus. *Anakaeos* certe JOSUA non tantum *Chebrone*, sed *Debiro* etiam, & *Hanabo*, omnibusqve *Judaeae* montanis exturbavit *Jos. XI. 21.* Praeterea inter celebres gigantum civitates עשתרות קרנים, qvae alias sine adjectione עשתרות vocatur, recenseturr, qvam ultra *Jordanem*, in regione, Rege *Amoraeorum*, OGO, gigante maximo, celeberrima, olim *Basan* dicta, sed deinceps posteris *Gad* attributa, sitam fuisse, ex *Deut. I, 4.* comperimus. Sunt, qvi nomen vrbi ab *Astarte*, hoc est, *Diana*, sive *Junone*, ibidem religiose

culta

culta, veniſſe aiunt. Nonnulli, qvibus vox קרנים illam notationem haud pati videtur, eam à forma lunae dimidiae, quam retulerit, potius contendunt eſſe appellatam. Altera Gigantum civitas הם eſt, vaſtiſſima זוזים, hoc eſt, iſtorum gigantum, qvi *Deut. II, 20. ſqq.* זמזמים *Zamzumaei* vocantur, ſedes, qvam CHALDAEUS *Gen. XIV, 5.* חמתא; *Graeci* vero LXX. ἅμα αὐλοῖς qvaſi in *Ebraeo* בְּהֵם, non בָּהֶם fuiſſet, interpretantur. Fuiſſe autem hos *Zamzumaeos* de gigantum genere, *Deut. II, 20.* diſerte affirmatur, ubi priſcis temporibus רפאים *Ammonitarum* terras tenuiſſe, & ab *Ammonitis* זמזמים appellati dicuntur: qui זמזמים, ut verſu 21. traditur, fuerint עם גדול ורב ורם כענקים *populus magnus, multus, & excelſus, ut Anakaei.* Videtur nomini זוזים affine eſſe vocabulum מזוזה, quod LXX. GRAECI φλιὰν, LATINI *limen*, vel *poſtem*, exponunt: prorſus ut etiam hac ratione inſolens *Zuzaeorum* proceritas innuatur. Vrbs ipſa alias in ſacris literis *II.Sam.XI,1.* & *Ezech.XXV, 5.* ſimpliciter רבה, interdum רבת עמון aut רבת בני עמון, ut a RABBATH, *Moabitarum* urbe, diſtingueretur, *2. Sam. XII, 26. XVII, 27. Jerem. XLIX, 2. Ezech. XXI. 20.* appellatur. Propior aetas eam φιλαδελφίαν, vel φιλαδέλφειαν, ut auctor eſt CELLARIUS in *Geogr. Antiq. Lib.* III. *cap.* XIII. p. 648., nuncupavit. Tertia Gigantum civitas ער dicitur, urbs regia, *Moabitici*que regni quondam domina, ad *Arnonem* fluvium ſita, & modo ſimpliciter *Rabba*, modo, ut a *Rabba Ammonitica* diſcerneretur, *Rabba Moab*, vel *Kir Moab* vocata, cujus mentio fit *Deut. II, 9. 18. 29. Num. XXI, 15. 18. Jeſ. XV, 1.* Hujus incolae *Moabitis* antiquiores, ut ex *Deut. II, 10.* conſtat, illi gigantes fuerunt, quos אמים, *terribiles*, LXX. *Graeci* aliquando

quando ἔθνη ἰσχυρὰ, dixerunt, & quos a *Moabitis*, *Lothi* filiis, perinde ut vicinos *Horitas* ab *Edomitis*, antiquis sedibus pulsos esse accepimus. Praeter alias istiusmodi, quae memorari poterant, urbes, inprimis etiam ENOS, urbs ad *Libanum* maxima, gigantum, quos universi orbis ab occasu solis ad ortum dominos fuisse NICOLAUS LLOYDIUS in *Diction. Hist. Geogr. Poet. Londini* cIↃ IↃ CLXXXVI. edito, tradit, domus celebratur. De qua tamen prolixius dicendi hic locus non est, quod urbis *Chebron* fata enarranda sunt, antequam finiamus. Fuit nimirum princeps illud gentis *Anakaeae* domicilium aeque, ac vicinae urbes, JOSUA & CALEBO ducibus, oppugnatum, expugnatum, devotum, ut constat ex *Jos. XI, 21. seqq. XV, 13. 14. Jud. I, 10. 20.* Tam insignis fuit hujus, aliarumque urbium, clades, ut *Anakaeorum* nemo, teste *Jos. XI, 22.* nisi, qui in *Philistaeorum* urbes, *Hazzam*, *Gathum*, & *Aschdodum* confugerant, relinqueretur. Sed & istas gigantum reliquias, *Davidis* denique aevo, prorsus deletas esse, bella cum *Philistaeis* gesta, certaminaque tum *Davidis* ipsius cum *Goliatho*, tum ducum ejus cum Gigantibus *Gathaeis* (*Hazzaeorum* enim & *Aschdodaeorum* sacra historia nunquam meminit amplius) *II. Sam. XXI, 17.* & *I. Chron. XX, 4.* feliciter confecta, arguunt. Quanquam nec illorum inepta prorsus conjectura est, qui *Anakaeorum* quosdam, *Josuae*, vel propiori aetate, superato mari, in *Graeciam* veniisse, nomenque iis, quos Ἄναξ prius, deinde inserta litera τ, ἄνακτας vocabant, dedisse putant. Sane si reges suos *Graeci* ideo potissimum Ἄνακας dixerunt, quod non, nisi insolentis staturae viros, ad eam dignitatem eveherent, ut vel ipso corporis habitu majestatem imperii tuerentur: habet SIMON

MON PATRICIUS, in *Comment.* ad *Deut.* IX, 2. cur ex *Anakaeis*, quosdam in *Graeciam* fugisse, ibidemque sedem fixisse opinetur: maxime cum vocabulum Ἄνακες, quod ex CICERONE *Lib. III.* de *Natur. Deor.* & PLUTARCHO in *vita Thesei* probat DAVID MARTINIUS in *Bibl. Gall.* ad *Deut. I, 28*, gigantes *Graecis* olim significasse videatur.

XIII.

Sed ad *Chebronem* redeundum nobis est, quae ita, ut diximus, diruta ac desolata, paulo post ex cineribus suis splendidior, augustiorque, surrexit. Nam consecrata postmodum, jussu divino, urbs est, sacerdotibusque, teste JOSUA *Cap. XXII, 11.* concessa, constituto ibi asylo, quo, qui praeter opinionem ac improviso caedem patraverat, confugeret, tutus a vindicum insidiis futurus, donec caussa ab universo populo foret iudicata. Principem eam omnium, quae sacerdotibus data erant, urbium fuisse, hoc facilius SPANHEMIO in *Geogr. Sacra Opp. Tom.* I. p. 29. statuenti assentimur, quod Regum aliquando sedes, regnique Judaici caput fuit, cum DAVID *I. Reg. II, 11.* sex annos totidemque menses, antequam omnem gentem *Israeliticam* in deditionem acciperet, ibi degisse, ac imperasse, commemoretur. Eandem urbem rerum, quas moliebatur, novarum initiis accommodatissimam ABSOLON, degener filius, existimabat, qui, omni fere populo Israelitico, ad defectionem, & partes suas illecto, per caussam voti, quod a se exule nuncupatum sit, solvendi, ne scilicet pater, de nefandis hisce suis consiliis praemature quicquam resciscceret, eo se contulit. *II. Sam. XV, 7. seqq.* De hinc vero regum *Judaico-*

daicorum praesidio munita, tantisper floruit, dum captis, & in servitutem abductis *Judaeae* incolis, in *Idumaeorum*, potestatem, perinde ut omnis *Judaea*, quae ad meridiem spectat, veniret. Inde tam diu sub *Idumaeorum* fuit imperio, donec Juda & fratres MACCABAEI *1. Maccab. V, 65. 66.*, expulsis ex *Palaestina* meridionali *Idumaeis*, ipsam etiam *Chebron* oppugnarent, captamque, ac igne & ferro deletam, solo adaequarent. Vastas etiamnum ejus ruinas, ex quibus de priscae urbis amplitudine judicari possit, in monte, ubi steterat, reperiri, non pauci, qui eas regiones peragrarunt, in Itinerariis suis tradiderunt. Novam autem, quam vocant, *Chebronem* ab antiqua illa ad tres arcuum jactus, via ab *Austro* in *Orientem* paululum reducta, in loco, ubi spelunca *Machpela* fuit, conditam esse, BROCARDUS *Monachus* in *Descript. T. S.* p. 145. asseverat. Assentiuntur ei CHRISTIANUS ADRICHOMIUS, in *Theatro T.S.* p. 49. & CHRISTOPHORUS HEIDMANNUS in *Palaestina* sua cap. III. p. 76. seqq., qui & ipse addit, eodem in loco, ubi HELENA olim, *Constantini* filii instinctu *Basilicam* constituerat, *Turcos* nunc sacra turpissima habere, *Moscheam*que, quam vocant, magnificam, & insigniter munitam, nec patriarcharum monimenta, nisi per fenestram, sive ostiolum, clathris ferreis occlusum, advenis conspicienda praebere. Ad id *Helenae* templum respexisse *Hieronymum*, in voce ARBOCH, quando ad quercum *Abrahae* a *Christianis* ecclesiam aedificatam esse scribit, idem non inepte, l. c. auguratur.

NOBI-

NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE
VIRO,
DN. M. GEORG. ALBERTO
ANTHINGIO,
MEININGA-HENNEBERGICO,
S. P. D.
JO. CHRISTOPH. WICH-
MANNSHAVSEN,
LINGV. ORIENT. PROF. PVBL.

REdiit in orbem annus, ex quo TE, *Jena* advenam, mihique nec a facie, nec ab ingenio, antea notum, hoſpitio excepi, ingenuumque oris, vultusque TVI habitum, ut & venuſtam morum elegantiam, ac conſuetudinis ſuavitatem, certiſſimos animi modeſtiae, humanitatisque ſingularis indices, propius cognovi. Ego ſane utut felicem rerum TVARVM ſucceſſum animo ſtatim prae-

viderim, praesenserimque, tantum tamen abest, ut tum assecutus omnem sim, ut jam spes etiam meas abs TE superari animadvertam. Vulgus ignavia saeculi corruptum, indolisque vitio depravatum, aut contemnit, quas non capit, literas, aut, ubi se iis leviter tinctum intelligit, fastu haud quaquam ferendo turget, ac studiorum rationes conturbat, eaque de caussa seipsum doctrinae solidioris fructu defraudat. A qua levitatis nota sic TV semper alienus fuisti, ut, cum ingenium, quod natura TIBI acre, expeditumque, largita est, industria perpoliisses, perpolitum publicis subinde speciminibus nobis comprobasses, honores quidem, justamque nominis famam quaesieris, nihil tamen de cetero feceris reliquum, quod ad explenda probi modestique Civis munia pertineret. Ea indolis bonitate bonorum omnium animos TIBI conciliasti, me certe ita devinxisti, ut aegerrime TVVM laturus discessum sim, nisi, *Argentoratenses* vidisse, in maxima fortunae TVÆ parte posuisses.

Non

Non enim, si mea voluntate consilia TVA metienda sunt, aequior TE incessere cupiditas poterat, quam in eam concedendi Academiam, quae castioris doctrinae studio, Doctorumque gloria ac splendore nulli est secunda. Amplissimis ibi meritis dudum celeberrimus est, *Vir Summe Reverendus*, nec unquam mihi, nisi honoris caussa, nominandus, DN. DANIEL PFEFFINGERVS, *Doctor Theologus*, qui initam mecum Lipsiae amicitiam sanctissime adhuc conservat, missisque literis renovat veluti, ac confirmat. Huic TV oculatus mei in ipsum amoris, illiusque venerationis, qua absentis, longissimeque remoti, memoriam prosequor, testis esto. Ille TE, ut est mei amantissimus, cum abs me TE amari compererit, ultro fovebit, TVISque commodis invigilabit, prorsus ut mea apud eum commendatione non egeas. Amat, idem, fovetque, *Praecellentissimum*, quem itineris ducem ac comitem delegisti, DN. M. JO. JACOBVM FERBERVM, nostro Adscriptum Ordi-

ni,

ni, Virum ut mihi amiciſſimum, ſic per orbem eruditum praeclaris ingenii monimentis notum; cujus conſortio cum TE uſum viderit, magis TE ſuo patrocinio dignum judicabit. His, quae concepi, omnibus iam, ubi tempus ac fortuna praecipit, i feliciter, Deo duce, coeleſtique ſtipatus comitatu, confectoque, quod fauſtum ac fortunatum cupio, itinere, ſtudiorum ſucceſſus optatiſſimos experire. Vale. Perſcripſi *Vitembergae* in Saxonibus VI. Nonas Maias

cIↃ IↃ CC X.

Ung VI 16

ULB Halle 3
002 061 678

V 517
V 078
sb
Z

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-424739-p0047-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-424739-p0048-8

B.I.G. Farbkarte #13
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches

בגה

DISPUTATIO PHILOLOGICA,
DE

חברון
בית־ענקים

Sive

CHEBRONE
GIGANTUM DOMICILIO,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AUGUSTO,
PRINCIPE REGIO ET SAX. ELECT. HEREDE,
Ad V. Nonas Maias cIↃ IↃ C C X.
Censurae Eruditorum publicae
submittunt

PRAESES
IOANNES CHRISTOPHORUS VVICHMANNSHAUSEN,
LINGVARUM ORIENTALIUM PROF. PUBL.
ET
RESPONDENS
M. GEORGIUS ALBERTUS ANTHING,
MEININGA HENNEBERGICUS.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-424739-p0049-7